DE RHEUMATISMO ARTICULORUM ACUTO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORES
RITE CAPESSENDOS SCRIPSIT
ET DIE XVI. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIV. HORA XII.
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS ARMINIUS BROELEMANN
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
ANT. STOLZENBERG, MED. ET CHIR. D. D.
FR. VETTER, CAND. MED.

HALIS SAXONUM
TYPIS SCHMIDTIANIS.

PIIS PATRIS MANIBUS

ET

DILECTISSIMAE MATRI

NEC MINUS

AVUNCULO CARISSIMO

HENRICO STAHL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

HUNC LIBELLUM

SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Definitio.

Voce rheumatismi articulorum acuti affectio acuta et plerumque febriculenta intelligitur, in qua maximi articuli sedem processus morbosi praebent et vulgo quidem complnres vel multi articuli morbo afficiuntur. Quod processus morbi ita in articulis sedem possuit, hoc inprimis dolore declaratur, qui aut per se constat aut cum tumore et rubore articulorum affectorum conjunctus est. Praeter inflammatorias articulorum affectiones in rheumatismo articulorum acuto aliis quoque locis processus inflammatorios existere videmus et creberrime quidem in membranis cordis, ita ut pericarditis et endocarditis ad frequentissimas morbi ejus, de quo agitur, complicationes adnumerandae sint. Raris vero exemplis symptomata etiam nervosa admodum maligna oriuntur, quibus celeriter exitus letalis efficitur.

Aetiologia.

Jam ut de geographica hujus morbi propagatione explicemus; hic per totam terram diffusus est, multo tamen saepius in utraque Zona temperata quam in regionibus polaribus et tropicis. Creberrime vero totius orbis terrarum auctore Schwarz

rheumatismus articulorum accutus in ea regione Africae australis occurrere dicitur, quae promontorio, quod vocatur bonae spei, adjacet.

Quoties et quomodo in Germania exsistere soleat, Lebert in monographia sua his verbis exposuit: „In Giessen beträgt der acute Gelenkrheumatismus nach den Erfahrungen von Vogel nicht volle 5 % der gesammten Morbilität; in Bremen finden wir nach 12jährigen (1824—1835) im Krankenhaus gemachten Erfahrungen ein Verhältniss von etwa 2 %; in Stuttgart nach 24jährigen im Catharinen-Hospitale gemachten Beobachtungen, ein solches von kaum 1, 2 %."

Variis etiam anni temporibus morbum vario modo augeri hinc cernimus, quod pleraeque aegrotationes hieme et vere observantur, contra aestate et auctumno earum numerus proportione exiguus est; sed etiam per singulos menses varietates satis luculentae animadvertuntur. Has rationes Lebert in hacce tabella statistica utili ac brevi conspectu complectitur:

Monate	Zahl		Procente
Januar	21	=	9,5 %
Februar	19	=	8,7 „
März	20	=	9,2 „
April	30	=	13,3 „
Mai	20	=	9,2 „
Juni	21	=	9,3 „
Juli	15	=	6,9 „
August	12	=	5,6 „
September	17	=	7,7 „
October	13	=	5,9 „
November	17	=	7,8 „
December	15	=	6,9 „
	220	=	100,0 „

Quum in utroque sexu rheumatismus articulorum acutus fere eandem prae se ferat frequentiam, aetas ad eum morbum crebrius aut rarius gignendum magnum et haud sane negligendum momentum affert. Pleraeque autem hujus modi aegrotationes inter annos vitae decimum sextum et vicesimum quintum observantur, inde vero usque ad senectutem paullatim minuuntur, in qua quidem similiter ut in prima infantia hic morbus rarissime exardescit. Lebert de ratione aetatum hancce composuit tabellam:

Dem Alter nach	Männer		Frauen		Summa		In Procent
6—10 Jahr	1	+	2	=	3	=	1,3 %
11—15 „	4	+	4	=	8	=	3,6 „
16—20 „	25	+	32	=	57	=	24,9 „
21—25 „	34	+	38	=	72	=	30,3 „
26—30 „	13	+	18	=	31	=	13,9 „
31—35 „	11	+	4	=	15	=	6,6 „
36—40 „	15	+	5	=	20	=	8,8 „
41—45 „	6	+	2	=	8	=	3,6 „
46—50 „	5	+	4	=	9	=	3,9 „
51—55 „	4	+	2	=	6	=	2,7 „
66—70 „	1	+	0	=	1	=	0,4 „
	119	+	111	=	230	=	100,0 %

Constitutiö corporis et ipsa aliquantum ad morbum generandum videtur conferre, quum in hominibus robustis et maxime plethoricis dispositio ejus major appareat, quam in debilibus atque infirmatis.

In numero causarum occasionalium, quibus rheumatismus articulorum acutus concitatur, minime dubium est, quin perfrictiones gravissimas partes agant, et si quis semel graviter perfrictus est, ita ut cutis fervida ex humore vel aëre perflante celerius refrigerata sit et si saepius leves perfrictiones nocebant. Praecipue crebro haec posterior species momentum aetiologicum

in ejusmodi hominibus exhibere probatur, qui negotii genere ad longius temporis spatium potentia tempestatis se exponere vel in spatiis humidis labore perfungi coguntur. Interdum quoque una sola morbi causa haec demonstrari potest, quod homines in conclavibus humidis habitent. Quamobrem rheumatismum articulorum acutum multo crebriorem in inferiori hominum genere, praecipue in laborantibus, quam in superioribus ordinibus reperimus. Veluti magnum aegrotorum numerum servitores, ancillae et operarii fabricarum exhibent. Alia causa occasionalis rheumatismi articulorum acuti interdum accurrens gonorrhoea etiam esse videtur; puerperio quoque decurrente eadem affectio nonnunquam observatur.

Postremo memoratu dignum est, homine semel morbo perfuncto majorem disp sitionem ad novos impetus restare, ita ut hominines inveniantur, qui post primum impetum postea etiam ter, quater vel adeo saepius morbo afficiantur, qua in re notandum est, intervalla inter singulos impetus magis magisque breviora fieri solere.

Anatomia pathologica.

Plerisque casibus in hominibus, qui ex rheumatismo articulorum acuto diem supremum obierunt, in articulis affectis processus quidam iuflammationis demonstrari potest. Mutationes quidem in articulis ex eo observatae sane saepe perexiguae sunt, quin etiam crebro prorsus deesse possunt, quamquam ejus modi casibus minime suspicari licet, viro etiam aegroto articulos omni irritatione inflammatoria vacasse. Tali potius casu verisimile extremis vitae horis vel momento mortis celerem formationem regressivam incidisse.

Quod jam ad membranam synovialem attinet, ea interdum modice tantum hyperaemica, synovia leviter turbata invenitur, cum cellulis purulentis, quae microscopii ope demonstrari possunt. Plerisque tamen casibus hyperaemia dilucidius expressa est: capsula synovialîs plus minus intensive rubefacta, turbata, parum congrassata, interdum soluta et exiguis ecchymosibus perfusa apparet; synovia plus minus aucta, vehementer turbata et floccea est et satis magnam copiam cellularum purulentarum continet. Gradibus inflammationis etiam altioribus synovia normalem suam naturam plane perdidit, potius fluidum purulentum efficit; hisce casibus rarioribus interdum etiam cartilagines destructae, epiphyses ossium sanguine et pure infiltratae sunt; etiam vaginae tendinum et bursae mucosae prope adjacentes simul inflammata esse possunt.

Postremum memorandum est, saepe fibrinum quoque in sanguine auctum esse.

Symptomatologia.

Proprium stadium prodromorum, quale in aliis morbis observare solemus, rheumatismum articulorum acutum plerumque non antecedit. Quamquam interdum aegroti jam nonnullis diebus ante eruptionem morbi generalem quamdam defatigationem sentiunt, plerisque tamen casibus morbus repente levi frigoris sensu saepius redeunte inchoatur, quem deinde fervoris sensus plus minus vehemens sequitur; casibus haud sane rarissimis morbus frigore concutiente perspicue expresso declaratur. Ad symptomata febriculenta statim ab initio dolores adjiciuntur in uno vel plerumque compluribus articulis, rarius dolores articulorum febrim antecedunt. Dolores ab aegrotis vario modo significantur, quum obtusi, tendentes, rumpentes,

pungentes, terebrantes dicuntur. Dolores principuo tolerabiles usque ad vehementiam intolerabilem crescere possunt; quiete absoluta leniuntur, sed pressione et motu augescunt; casibus graevissimis aegroti vix levem lectum plumis completum perferre possunt atque vel minima lecti concussione acerrimis doloribus cruciantur. Omnibus feve casibus articuli plus minus intumuerunt. Haec intumescentia partim exaucto fluido synoviali, partim ab oedemate cutis et telae cellularis subcutaneae originem trahit. Maxime quidem ad intumescendum magni articuli propensi sunt, praesertim articulus genu, cujus tumor, si afficitur, semper fere admodum perspicue declaratus est.

Nonnunquam cutis quoque tegumenta in articulis affectis rubefacta sunt, maxime in iis articulis, qui proxime infra cutem positi sunt, veluti in manu et pede, ubi rubor ex hyperaemia articulorum perlucente exoritur. In motu articulorum interdum singularis quaedam crepitatio auditur. Plerumque complures articuli simul affecti sunt vel etiam diversi articuli alius post alium aut invicem corripiuntur. Creberrime magni articuli affici solent: malleoli, genua, cubiti, humeri. Rarius jam accidit, ut articulus sterno-clavicularis aegrotet, perraris casibus etiam articuli vertebrarum, symphysis sacro-iliaca et ossium pubis afficiuntúr.

Secundum localia symptomata febris statim ab initio morbi exoriens maxime conspicua est. Temperatura, quae nunquam fere tantam altitudinem consequitur, quantam in aliis morbis acutis febriculentis adipisci solet, raro tantum usque ad 40⁰ Cels. vel supra evehitur, sed plerumque inter 38 et 39⁰ remanere consuevit.

Pulsus quoque raris tantum casibus ad 120 ictus augetur ac plerumque ejus frequentia inter 80 et 100 variatur.

Praeterea cetera symptomata febriculenta pro gravioribus aut levioribus aegrotationis casibus magis vel minus sub oculo-

rum adspectum subjiciuntur: quo in numero referenda sunt accellerata respiratio, sitis vehementior, capitis dolores.

Deinde paene constanter sudores profusi, admodum acide reagentes, homini aegroto permolesti solent exsistere. Ex quo haud paucis casibus cutis sudaminibus aut miliaribus albis vel rubris tecta conspicitur.

Propter magnam jacturam, quam corpus acerrimis sudoribus et febri perpetitur urina ejusmodi aegrotorum plerumque perrara, concentrata et magno pondere specifico est; quae quidem refrigerata admodum larga sedimenta praebet salium ex acido urinali. Ineunte et fiorente morbo substantia urinaria aucta, chloridia minuta sunt.

Appetitus ciborum plerumque omnino deest, lingua albo colore obducta, gustatus malus, defaecatio retenta est. In multis aegrotis in corde strepitus flantes, qui dicuntur strepitus sanguinis, percipiuntur, etiamsi nulla inflammatoria cordis affectio suppetit.

Noctes aegrotorum cum propter dolores tum propter sudores molestos somno quiete carent.

Complicationes.

Quemadmodum jam in plerisque casibus rheumatismi articulorum acuti actio cordis aucta est, id quod ex aucto cordis impulso, ex strepitibus flantibus paulo ante memoratis, qui creberrime occurrunt, ex palpitatione cordis, de qua aegroti maxime queri consueverunt, satis intelligere licet, ita multis casibus haec gravior cordis actio ad inflammatoriam membranarum cordis irritationem increscit, ita ut pericarditis et endocarditis frequentissimis complicationibus rheumatismi articulorum acuti accensendae esse videantur. Ex tabellis, quas Bamberger com-

posui, complicatio cum endocarditide prope in 20 proc., complicatio cum pericarditide in 14 proc. occurrit, quum myocarditis multo rarior observetur. Secundum cordis affectiones, opinor, creberrime complicationes videntur cum pleuritide, pneumonia, bronchitide et angina. Perrara complicatio cum pyaemia, quae gravibus morbi casibus ex sanie articulorum oritur. Alias auctore Wunderlich pyaemia primaria esse atque hinc secundarius articulorum rheumatismus nasci dicitur, qui crebro sane chronicus, sed interdum etiam acutus exsistit. Porro meningitis cerebralis et spinalis rariores observantur complicationes.

Postremo etiam singularis quaedam complicatio ex nervorum systemate memoratu digna est, quam arbitror inter perniciosissimas referendam esse, quum plerique casus adhuc observati celerem decursum letalem habuerint. Lebert in monographia sua decem hujusmodi casus letali exitu publicavit, quorum symptomata e nervorum systemate proficiscentia sic se habuerunt:

Tribus casibus propria cerebri symptomata nulla prorsus exstiterunt, sed aegroti ex symptomatis celerrimi collapsus perierunt. Ceteris casibus deliria blanda exstiterunt liberis intervallis, unius tantum aegroti furibunda erant. Ante eruptionem deliriorum atque in intermissionibus magna inquies et loquacitas observabatur; coma perspicue expressum duobus tantummodo casibus aderat.

Sensuum perturbationes semel modo animadversae sunt specie ob oculos micante et flatu auribus obversante. In plerisque hujusmodi casibus symptomata depressiva conditionis universalis praevalebant atque gravi apathia et syncope manifestabantur; exaltationis symptomata nonnullis casibus in inquiete, angore et gemitu constabant. Color faciei in universum pallidus et bis perspicue ictericus erat; organa digestionis ut in omni alio rheumatismo articulorum acuto normali modo decur-

rente affecta erant, uno tantum casu lingua sicca et obductione fuliginosa tecta erat; ter dyspnoëa per singulos impetus exsistens observata est; frequentia pulsus omnibus casibus vehementer aucta, duobus etiam ad 136 ictus est observata. Maxima parte eorum exemplorum gravia symptomata exeunte primo vel ineunte secundo hebdomate exstiterunt, quo tempore alias quoque in rheumatismo articulorum acuto plurimae complicationes observari solent; tempus, per quod gravia symptomata nervosa permanebant, inter 6 horas et $3\frac{1}{2}$ dies variabat.

Sectio cadaveris omnibus his decem casibus de hisce cerebralibus symptomatis fere nihil omnino certi prodidit; etenim et cerebrum et medulla spinalis et membranae earum partium integra et sana reperiebantur; in nonnullis tantum valde modica hyperaemia meningum exstabat, semel tantum ad internam superficiem durae matris exiguum sanguinis extravasatum animadversum est.

Jam si haec omnia symptomata simul intuemur et quaerimus, quibus de complicationibus hoc loco proprie agatur, huic quidem quaestioni recte respondere haud facile erit. Meningitidem et encephalitidem statim repudiare poterimus, repugnant enim et complexus symptomatum, qui hoc loco exstat et praecipue facta anatomico-pathologica. Longum est, omnes conjecturas hac de re probatas enumerare; verisimillimum autem est, quasi aliquam intoxicationem locum habere, quibus isti impetus letales efficiantur.

Decursus, tempus, exitus.

Vix morbum ullum esse opinor, qui in decusu ac per totum tempus, quo permanet, tot varietates offerat, quot rheumatismus articulorum acutus. Ad meliorem conspectum hoc loco optime leves, medii et graves casus distinguuntur.

In illis primis febris exigua est, numerus articulorum affectorum non magnus, articuli parum modo aut omnino non

intumuerunt, dolores perferri possunt. Hoc loco contingere potest, ut octo vel decem diebus processus morbi decurrat et aegroti convalescant. Verumtamen hoc raro tantum evenit, plerumque enim hi etiam leviores impetus ad minimum quattuordecim dies persistunt, aut etiam, id quod in istis casibus haud raro accidit, post meliorem statum, qui videtur restitui, subito adexcerbatio incurrit, quam invicem intermissio sequitur, ita ut hoc modo morbus interdum per plures menses perduci et in formam chronicam transire possit; aut denique post illam speciem melioris alicujus conditionis forma sequitur pertinacior et intensior,

In mediis casibus, qui maximum numerum efficiunt, febris modica est intensitate; aut plures articuli eodem tempore aut varii articuli invicem morbo corripiuntur; articuli plerumque perspicuum tumorem, interdum ruborem quoque ostentant, dolores satis acres sunt, plerumque leviores complicationes exsistunt; vulgo fit, ut haec forma per spatium trium vel quattuor hebdomatum perseveret.

Denique in gravioribus casibus, qui vulgo quinque vel sex hebdomates permanere solent, et localia symptomata et febris acerrima sunt, itemque hoc loco graviores complicationes occurrunt.

Reconvalescentia quidem plerisque casibus sive isti leves sive graves sunt, non subito sub forma criseos, sed lentissime ac paullatim introducitur. Febris enim symptomata sensim remittunt, pulsus et temperatura ad normam redeunt, sitis illa acerrima desinit, lingua purificatur, appetitus ciborum revertitur, urina copiosior et normalis emittitur; sed tamen aegroti plerumque per longuis temporis spatium debilissimi et anaemici esse pergunt. Exitus in sanationem certe frequentissimus est. Letalis exitus proportione rarius occurrit, paulo tamen crebrius

in viris quam in feminis. Praecipue mors incidit in gravissimis complicationibus, et a eorde aliisque organis et maxime, ut jam supra vidimus, a nervorum systemate exeuntibus. Postremo etiam exitus in imperfectam sanationem commemoretur oportet: interdum enim rheumatismus articnlorum acutus in formam chronicam commutatur, aliis casibus in articulis affectis rigiditas; verae et spuriae ancyloses remanent, alias etiam ex endocarditide vitia valvularum exoriuntur, quibus aegroti priore vel posteriore tempore mortem obeunt.

Diagnosis.

Diagnosis plerumque tam evidens et facilis est, ut hic morbus vix cum ulla alia affectione confundi possit. A musculorum enim rheumatismo et a neuralgiis articulorum rheumatismus acutus eo praecipue distinguitur, quoel in compluribus articulis certum locum fixit, quum membrorum continuitates doloribus vacuae sint. Ab aliis articulorum affectionibus rheumatismus articulorum acutus eo discernitur, quod in illis vulgo aliae causae veluti traumaticae et similes demonstrari possunt iisque semper fere singuli tantum articuli corripiuntur.

Prognosis.

Prognosis quoad vitam in universum fausta constituenda est; mortalitas a variis auctoribus varie determinatur: ab aliis in 7 proc., ab aliis in 3 proc. reducitur; quin etiam Bouillaud auctor francogallus contendere gestit, se sua curandi ratione ne unum quidem ae-

grotum morte perdidisse. Maxime periculo obnoxii illi aegroti sunt, qui jam chronico cordis vitio laborant, ad quod deinde morbi decursu pericarditis et endocarditis accedunt. Haud minus infausta vel adeo infelicior prognosis est, si illa symptomata ecrebralia exsistunt, quae in complicationibus exponendis accuratius persecuti sumus.

Therapia.

Rheumatismus articulorum accutus iu eorum morborum numero reponendus est, quos medici ingenti numero remedioinpugnaverunt, quum tamen minime adhuc contigerit, ut specificum ullum remedium inveniretur. Ac primum quod attinet ad sanguinis detractiones, quibus medici morbum se exstincturos vel saltem ejus decursum multo breviorem redituros esse speraverunt. Jam priores medici Britannorum et Germanorum maxime in cordis complicationibus venaesectione utebantur. Imprimis vero Bouillaud istam curandi rationem excoluit, qui et venaesectionibus et cucurbitis tam ingentes sanguinis detractiones instituit, ut aegrotis suis nunquam fere minus quam quinque, vulgo etiam octo ad decem libras sanguinis demeret. Si Bouillaud affirmat, in hac ratione curandi nunquam sibi aegrotum vita decedere, nunquam morbos consecutivos remanere et tempus morbi semper corripi, perspicue apparet, eum nimis longe progredi. Alii enim observatores ex hac cruandi ratione tam egregios eventus habuisse minime goriari possunt, quam Bouillaud praedicat se consecntum esse, ita ut nunc paene omnes hanc rationem omiserint, praesertim quum ea minime omni periculo libera sit et sanatio aegrotorum ingenti sanguinis penuria valde anaemicorum et debilitatorum nimium producatur et retardetur. Etiamsi igitur istae ingentes sanguinis detractiones certe non

comprobandae sunt, negari tamen non potest, locales sanguinis detractiones acerrima articulorum affectione interdum se utiles praebere iisque casibus haud repudiandas esse.

Vetus remedium valde usitatum, quod etiamnunc multis locis adhiberi solet, natron nitricum est modicis dosibus (ʒjj : ℥vı) Veruntamen ne ex hoc quidem remedio splendidos eventus sperare possis. Aliud remedium prius creberrime adhibitum est tartarus stibiatus. Hic quidem aut parvis dosibus usque ad grj—jj aut majoribus usque ad gr. xii viginti quattuor horis praebebatur. Hujus tamen remedii usum propter dubiam ejus efficatiam nunc fere omnes omiserunt; interdum nunc quoque, opinor, conjunctum cum natro nitrico offertur.

Veratrinum autem et Propylaminum, quae ad curandum commendantur, adhuc parum adhibita sunt, ut de eorum efficatia recte judicari possit.

Praeter natrum nitricum usitatissima remedia sunt praeparata colchici (tinct. et vin. sem. colichici ʒjjj, tinct. op. s. ʒß ter quotidie gtt. XX), Kalium jodatum (ʒj : ℥ıv) et succus citri. Praecipue hic extremus a Lebert laudatur, qui quattuor unciis singulis diebus incipit et usque ad sex uncias procedens secunda quaque hora unum cochlear in dimidio vitro aquae saccharatae sumentum praecipit. Quantum hic efficiat, his verbis exponit: „Im Mittleren können wir sagen, dass das Fieber durch diese Methode gemindert, die Krankheit abgekürzt und im Durchschnitt eine gewisse Zahl von Schmerzenstagen den Kranken erspart werden. Complicationen vermindert der Citronensaft nur insofern in ihrer Häufigkeit, als er die Krankheit vermindert und die Dauer der intensen Erscheinungen um einige Tage abkürzt.“

Chinium vero, quod multos laudatores invenit, praecipue autem a Briquet egregios eventus habuisse praedicatur, a Ji—ʒß pro die praebetur. Id tamen propter magnas doses, quae prae-

bendae sunt, si aliquantum hinc effici velis, periculo minime vacat, quam ob rem gravissimis tantum casibus cum acerrima febri videtur adhiberi posse.

Opium et Morphium praecipue majoribus dosibus (op. gr. i; morph acet. gr. ¼) ad nocturnam quietem offeruntur; ad dolores autem minuendos haec parum tantummodo videntur prodesse.

Quod jam attinet ad curam affectorum articulorum praeter locales sanguinis detractiones, quarum jam supra mentionem fecimus, variae rationes sunt dolorum leniendorum. In casibus modica vi exsistentibus, quibus dolores non adeo ingravescunt, optimum est articulos laborantes cannabino vel stuppa involvere Ill. Vogel bonos eventus ex usu kali nitrici forma cataplasmatum se vidisse praedicat. Ab aliis cataplasmata humida calida commendantur. Gravissimis doloribus ab Ill. Wunderlich egregium remedium Elaylchlorür laudatur, de quo ʒß — ʒj leniter infricari jubet. Idem etiam ab aliis auctoribus valde praedicatur et re vera multum proficere videtur. Postremo aliud remedium commemoremus, quo parum adhuc medici usi sunt, dico glaciem. Omnibus casibus, quibus a d h i b i t a est, praeclarum successum habuit; dolores enim egregie et constanter lenit et ceteris omnibus remediis ante memoratis praeferenda est. Quidam collega meus, qui bis rheumatismo articulorum acuto laborabat et in Halensi nosocomio glacie curabatur, hanc curandi rationem satis laudare non potest.

Complicationes autem peculiariter etiam remediis iis tractandae sunt, quae singulis casibus videntur apta esse.

Jam hasce, quae sequntur, quinque morborum historias, quarum quattuor symptomatis cerebralibus insignes fuerunt, eximia benevolentia Ill. Weber tractandas et huic libello adjungendas consecutus sum, cui viro humanissimo et summe venerando propterea maximas ago gratias.

Historia morbi I.

A. B...., decem et septem annos natus, famulus in caupona; aegrotus die vicesimo quinto mensis Novembris 1862 in nosocomium clinicum receptus est.

Anamnesis. Antea semper prospera valetudine fruebatur. Subito die vicesimo tertio mensis Novembris 1862 in morbum incidit, quum simul doloribus circa regionem ossis sacri et frigoris sensu laboraret. Non sane certum frigus concutiens, sed leviores frigoris impetus sentiebat, quam diu extra lectum manebat. Nullus ardor, sitis modica. Die 24 propter dolores in articulo dexteri pedis lectum servare cogebatur, nullo sudore. Jam die 23 vesperi aegrotus in meando in dextero pede paulum doloris sentiebat, qui ex eo tempore semper crescebat et locum non subito commutabat. Die 25 etiam sinistri pedis articulus affectus est; ceteri articuli liberi; dolor pungens erat. Nullus capitis dolor, nulla tussis, nulla dyspnoëa, nullus cordis pulsus, nullae angustiae. Appetitus ciborum satis bonus, faeces normales, urina non mutata.

Status praesens. Aegrotus in dorso jacet, aliquantum delapsus, exigua corporis statura, robuste nutritus, facies rubefacta, conjunctiva injecta, lingua modice obducta, glandulae cervicales ad fabarum magnitudinem intumuerunt; pulsatio carotidis levis adspici et sentiri potest; thorax et sonus percussionis normalis; depressus cordis sonitus normalis, actio non conspi-

citur, modica, soni puri; secundus sonus pulmonalis non accentuatus. Regio utriusque pedis articuli paulum intumuit, dextera parte vehementius; pressio in eam et omnes motus magnos dolores efficiunt; nullus rubor, temperatura qualis in cetero corpore. Dexteri genu articulus aliquantum in motibus dolet. Ceteri articuli et superiores extremitates normales. Pulsus 120, temperatura 31,8.

26/11. Dexteri pedis articulus omnino liber; uterque genu articulus et dexter coxae articulus paulum dolent, sinistri pedis articulus acerrimis doloribus cruciatur. Nulla cordis pulsatio, in primo sono strepitus levi flatu.

Ordinatio: Vesicae glaciei; Morph. acet. gr. $\frac{1}{4}$ vespera.

27/11. Aegrotus bene dormivit, in quiescendo nullos omnino, in pressu et motu levissimos dolores sentit; cordis impulsus eximie adspicitur, undulans, cordis regio oedematosa, pro primo sono strepitus flans, ceteri soni puri; secundus sonus pulmonalis accentuatus; urina magno pondere specifico; appetitus ciborum bonus; in profunda inspiratione dolores acriter pungentes in dorso et angores oriuntur.

28/11. Articuli pedum liberi; articuli genuum et utriusque humeri paulum dolent; cordis impulsus perspicue sentiri potest, depressio soni in superiorem partem aucta, strepitus systolicus tamquàm serra secante; secundus sonus pulmonalis non accentuatus; nulla cordis pulsatio, nullus angor, nec sudor; substantia urinania paulum aucta. P. 106; T. 31,6.

29/11. Omnes digitorum et utriusque cubiti articuli vehementer, articuli humerorum parum dolent.

Ordinatio: vesicae glaciei, Ol. Ric.

30/11. Tantummodo in sinistrae manus articulo dolores sentiuntur; leviores cordis strepitus; grave sedimentum ex salibus acidi urinarii.

4/12. Leves dolores in articulis pedum; supra cordis apicem eximius systolicus tamquam serrae strepitus. P. 74; T. 31,1.

5/12. In manus tantum articulo dolores.

Ordinatio: Tinctura colchici tribus horis gtt. X.

10/12. Levis cordis strepitus; aegrotus bene dormivit, bono appetitu ciborum utitur, doloribus levibus.

16/12. Dolores exigui; aegrotus duas horas extra lectum manet.

27/12. Sanus dimissus est.

Historia morbi II.

Femina H...... ex nonnullis diebus rheumatismo articulorum acuto laborabat; paene omnes articuli hoc malo affecti erant, ita ut nullum omnino motum exercere posset; simul acerrima febris exarserat; in corde nulli strepitus audiri poterant; aegrota vehementissimis doloribus cruciabatur.

Ordinatio: Inf. digit. (gr. XV) ℥vi, Natr. bicarb; vesperi morph. acet. gr. $\frac{1}{4}$.

Praeterea omnes articuli in stupa involvebantur; nonnullis diebus post ad valvulam mitralem strepitus systolicus audiri poterat; secundus sonus pulmonalis non accentuatus, cordis actio parum frequens; dolores paulo tantum meliores; postriedie aegrota extra lectum manebat, omnibus doloribus libera et hilari animo; in corde exiguus strepitus.

Aegrota ex ordinatiione lectum repetiit et postridie eadem conditione bona utebatur. Vesperi ejus diei iterum satis acribus doloribus in articulis cruciabatur; magna lassitudo, levis cordis pulsus, conscientia amissa; cordis soni parum audiri, pulsus vix sentiri poterat; haec extrema conditio, ut maritus ejus affirmabat, subito incidit. Excitantia nihil proderant; decurrente una hora aegrota vita decessit.

Sectio cadaveris necve in corde necve in ullo alio organo abnormitates demonstravit. Mirum erat, quanta celeritate cadaver putrefactum sit.

Historia morbi III.

P...... triginta unum annos natus, robustissimus et corpulentus ante paucos hebdomates cum acribus febris symptomatis angina tonsillari et faucium affectus erat. Hoc morbo adhuc afflictus vehementi perfrictioni se exposuit, cujus de detrimentis futuris et statim et postea se valde timere dicebat. Saepe se rigidum sentiebat, dolores in cruribus patiebatur, quum diutius sedens surgebat atque omnino impeditus erat, quominus inferioribus extremitatibus libere uteretur.

Die 12. mensis Junii aegrotus lectum petere cogebatur, perfecte febri vocabat, sed maxime debilitatus erat. Praecipue querebatur de dextero genu, quod pridie jam perdifficile motu nunc vero omnino voluntatis potentiae ereptum erat. Maxima tantum contentione aegrotus crus tollere valebat, sed simul vivacem dolorem sentiebat in musculo recto femoris et musculo crurali fere manus latitudine supra genu articulum, quum hic ipse perfecte liber esset.

Ordinatio: Octo cucurbitae in anteriorem superficiem femöris et intus magnesia sulphurica dosi leniter purgante.

13 6. Nox quieta fuerat. Dolor e musculis extensoribus in genu migravit, quod tamen non intumuit. Immobilitas eademque heri.

Ordinatio: Quattuor hirudines in locum dolentem articuli et infrictiones unguento Hydrargyri cinerei et olei Hyoscyami cocti aa.

14/6. Status idem, dolor tantum minor.

15/6. Noctu sudor profusus, qui paulo lenius adhuc indurat. Dexter genu articulus aliquantum intumuit, sinister idem dolens et immobilis. Pulsus paulo plenior quam adhuc a 72 ad 88 ictus crevit.

Ordinatio:

Solutio. natri nitr.

(℥ß) ℥vi

2stündl. einen Esslöffel

16/6 Sudor copiosior quam heri; dolores increverunt. Pulsus 88; urina paulum rara et fusca. Articuli genuum stupa involuti sunt.

17/6 Noctu somnus paulum inquietus. Febris multum aucta; pulsus 96; sudor continuus et copiosus. Omnes magni articuli affecti sunt ac propterea aegrotus motu perfecte caret. Ordinatio:

Inf. herb. digit. (gr. XV.)

℥vi

nitri ʒvii

Syrup. Sacch. ℥ß

Ds. 2stündl. 1 Esslöffel.

17/6. Aegrostus satis bene se dormivisse praedicat, tamen toties experrectus est, ut certis temporibus medicamenta sumserit. Sudor copiosissimus permanet, similiter immobilitas omnium articulorum, excepto dextero brachio, quod hodie tam liberum est, ut aegrotus etiam cigarram ad os adducere possit. Praecipuo dolore hodie articuli duorum extremorum digitorum utriusque manus afficiuntur. Pulsus plenus et bene validus, 100. Cor et pulmones, ut antea, plane intacta manserunt.

Ordinatio: Infusum digitalis ad Ji auctum est.

19/6. Mane. Noctu somnus crebro interruptus; sudor permanens copiosus, qui hodie aegroto permolestus est. Fe-

bris qualis heri. Pulsus 100. Cor et pulmones vacant. Crura paulo mobilioria sunt. Ordinatio eadem.

Hora respertino 8. Sudor decurrente die admodum minutus, cutis tamen toto corpore semper adhuc humida est, quum in facie adhuc guttae nascantur. Aegrotus magis quam antea ardorem sibi molestum esse queritur; e contrario maxime laetatur, se omnes articulos rursum libere movere posse. Pulsus 96.

Ordinatio: Pristinum medicamentum digitalis cum nitro continuatur, et quum aegrotus paulum angatur, quod alvi egestio adhuc plane normalis ex biduo intermissa sit, praeterea ei modus minoris cochlearis electuarii e Senna praebetur.

Sub horam vespertinam 10 aegrotus interdum brevissime tussire coepit deinde in somnum cadit, rursus expergiscitur, potionem petit et cum proximis plane tranquille ac prudenter loquitur. Hora 12½ levia deliria oriuntur, quorum vehementia magis magisque crescit; aegrotus lectum relicturus cantat, exclamat et multa sputa circum se ejicit. Hoc exaltationis stadium semi horam tantummodo perseverât. Hora 1. aegrotus quietus erat, sed conscientia omnino carebat, oculis ruptis, impedita respiratione et maxime valida crepitatione tracheali; respiratio magis magisque difficilior fit et interpellatur; ex ore et nasibus per impetus ingentes copiae spumae leviter sanguine tinctae egeruntur.

Facies colorem induit caeruleo — rubrum atque his symptomatis acuti pulmonum oedematis aegrotus hora 1½ moritur.

Sectio nulla instituta est. Mira autem celeritate cadaver est putrefactum.

Historia morbi IV.

A. B..... 25 annos nata, semper antea prospera valetudine usa interdum aliqua signa chloroseos prae se ferebat; die autem nono mensis dulii symptomatis levis rheumatismi articulorum acuti affecta est. Febris modica; pulsus nunquam 100 ictus excessit; cor liberum erat. Utrique genuum ac pedum, singuli digitorum, tum humerorum et cubitorum articuli in vicem eo malo correpti sunt, mollibus tamen partibus nec tumescentibus nec rubefactis; nonnulli musculi eximio modo dolebant. Nocte ea, quae erat inter dies 16 et 17 m. Julii vehementia exstiterunt symptomata cerebralia, levia deliria celeriter accrescentia.

Ordinatio: Vesicae glacie refertae, calomel, clysmata ex aceto, sinapismi.

Matulino proximi diei tempore aegrota mirum in modum bene se habuit. Verumtamen postridie convulsiones musculorum, opisthotonus, labrorum spasmi, frendor dentium, deliria magis magisque augescentia et coma inciderunt. Extincta vita aegrotae est 28 horis post exordium cerebralium symptomatum.

Lien amplificatus, cadaver celerrime putrefactum, sectio ejus nulla instituta est.

Historia morbi V.

M. N.... sartor, 41 annorum antea incolumi valetudine fruebatur. Sed quatriduo ante mortem rheumatismo articulorum acuto modicae vehementiae affectus est. Sudores satis copiosi. Genuum, manuum, digitorum atque humerorum articuli inprimis morbi impetu correpti erant.

Ordinatio: Tinct. colchici, membra stuppa involuta.

Die 4 postquam in hunc morbum incidit, aegrotus adeo bene se habebat, ut uxori acta diurna recitare posset. Hora 8 levibus et manuum et circum os convulsionibus correptus est, quae paulo post in veros et perfectos spasmos increscebant; conscientia perdita sopor et 2 horis post paulo ante horam 10 mors secuta est.

Sectio 11 horis p. m. facta: Corpus bene nutritum, musculorum rigor normali modo aderat, modicae mortis maculae, cranium normale; cerebri meninges satis magna sanguinis copia refertae; nullae effusiones serosae; puncta sanguinea mediocri numero; cetera omnia normalia fuerunt. Pulmones paulum adhaerentes; cor et organa abdominis normalia. Itaque sectio de illis cerebralibus symptomatis nihil omnino certi prodidit.

Tegumenta abdominis jam 12 horis post mortem viridem colorem induerunt.

VITA.

Carolus Arminius Broelemann, fidei addictus evangelicae, natus sum Hacheneyae, pago haud procul a Tremonia sito, anno hujus saeculi XXXIX mensis Martii die XXIX, patre Augusto, matre Josina, e gente Beurhaus, quorum alteram adhuc vivam pio animo veneror, alterum morte ereptum lugeo.

Primis litterarum imbutus elementis gymnasium Tremoniense, quod tunc florebat et adhuc floret rectore Ill. Hildebrand, per novem annos frequentavi. Maturitatis testimonio instructus mense Aprilis a. h. s. LX ad almam universitatem Fridericam Guilelmam Bonnensem discessi, ubi per unum semester hos viros audivi disserentes: Ill. Noeggerath, Troschel, Schacht, Bischoff.

Deinde almam universitatem Halensem petii et a rectore magnifico Goeschen, a decano spectatissimo Blasius civibus academicis adscriptus per duo semestria praeceptores habui: Ill. Volkmann, Vogel, Erdmann, Welker.

Deinde Berolinum me contuli et ab Magnus rectore magnifico, a decano spectatissimo Reichert in civium academicorum numerum receptus hosce viros illustrissimos disserentes

audivi: du Bois-Reymond, Henoch, Mitscherlich, Schoeller, Ebert, de Baerensprung, Dove, Trendelenburg, doctiss. Friedberg.

Tentamine physico-anatomico Berolini superato Halas reversus a rectore magnifico Volkmann, a decano spectatissimo Blasius civium academicorum numero adscriptus sum et in clinicis chirurgico-ophthalmiatricis et medicis nec non obstetriciis praeceptores habui: Ill. Blasius, Weber, Olshausen.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam plurimas.

Jam vero tentaminibus tam physico quam medico nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut hac dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

---

1) Venaesectio in rheumatismo articulorum acuto haud adhibeatur.
2) Ligatura torsioni arteriarum praeferenda est.
3) In delirio trementi curando alcoholica sunt rejicienda.
